DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ menſis Decembris, anno Domini M. DCC. LXX.

M. BARTHOLOMÆO-PETRO DE LA NOUE,
Doctore Medico, Præſide.

Utrùm à gangliis nervi intercoſtalis partium omnium conſenſus?

I.



CONSENSUS ſeu ſympathia, apud Medicos, nexus eſt ille quo partes à ſe invicem ità pendent ut earum quâlibet (ſive ſit remota, ſive proxima, naturâ & officio ſimilis aut diſpar) quocumque modo affectâ, altera idem patiatur. Iis motibus ſympathicis nihil frequentius. Undè verè ac meritò dixit Hippocrates (*a*) *confluxionem unam, conſpirationem unam, conſentientia omnia eſſe.*

(*a*) Lib. de alimento, ſect. [illegible]

Duo ſunt ſympathiæ genera; ſpectat altera paſſiones, altera verò functiones; hæc eſt concurſus plurium ad eumdem effectum & finem; illa autem mutua partium neceſſitudo, quâ viciſſim ſibi congaudent & condolent, utpotè frequentior in Medicinâ, maximè ſpectari debet. Phyſiologicis hujus-ce conſenſûs cauſam attentè indagantibus, multiplex, prælucente Anatomiâ, innotuit, videlicet communio vaſorum, cognatio humorum, continuitas membranarum, eadem fabrica, paritas officii, textura cellularis, ſed imprimìs nervi, qui ſtupendos & mirabiles illos effectus potiſſimùm ſibi vindicant, quorum ſocietatis ratio nondùm perſpicuè expedita fuit.

In corpore humano non eadem ubique eſt ſympathia. Ut (*b*) *à nervis ſenſibilitas & irritabilitas*, ſic ab eorum gangliis conſenſus, qui eò latior erit, quò plura pluribus partibus nervos largientur. Minùs mirum igitur ſi quædam partes præ cæteris inter ſe conſentiant.

(*b*) Quæſt. Med. Par. Auct. Magiſt. Gerard de Villars; ann. 1757.

Ut animæ in corpus imperium & hujus-ce actio in illam celeriùs æquabiliùſque exerceretur, præſertim in partibus à ſenſorio communi remotis, ganglia ex intervallo interjecta ſunt, quæ non ſolùm adjuvando ſpirituum animalium motum functionibus nervorum ſubſerviunt; ſed etiam quod quaſi connubium inter partes conſtituunt; ita ut *ubi ſunt nervorum ganglia, ibi adſit partium conſenſus.*

II.

MOTUS, ſenſuum & nutritionis, ut doloris, voluptatis & functionum omnium cauſa ſunt nervi; (*a*) ex fibrarum medullarium faſciculis, rectis, parallelis, diſtinctis conſtant; à cerebro & cerebello per medullam oblongatam & ſpinalem originem ducunt; in ſuo decurſu, texturâ cellulari & durâ-matre ſeorſim interclusi, per totum corpus diſſeminantur. Æquè ac vaſa partes omnes pervadunt nervi, ſed non eodem modo; illa oriuntur è trunco communi quæ alia procreant; hi verò faſciatim ab ortu juncti, ad ſuam quamque partem digredientes à ſe invicem diſcedunt; ità ut,

(*a*) Haller, primæ [illegible] æ phyſ. de cerebro.

* *Auctore M. Joanne-Staniſlao* MITTIÉ, *anno 1764.*

quotquot ſunt nervi quamlibet exiles, totidem ſint trunculi, quorum nullus alterius eſt parens nec vicem gerit.

Ganglia ſunt corpuſcula ovali figurâ, irregulari: ſubſtantiâ medulloſâ, ſtructurâ intricatiſſima, colore & mole varia; involucra & vaſa eadem habent ac nervi è quibus conflantur.

Nervus autem intercoſtalis non modò mirandus functione, ſed etiam peculiaris origine quâ cæteris nervis diſpar eſt, prodit à totidem nerveis ſurculis quot ſunt ganglia intervertebralia, qui ante unamquamque conjugationem vertebrarum, efformant tumorem gangliformem plùs minùs-ve majorem, habitâ ratione aliorum ſurculorum illum convenientium, ex quo alii dirivantur trunci ad partes functionibus omnibus inſervientes. Quâ conjunctione neceſſariò in ſe invicem agunt totque varii in corpore humano exurgunt ſympathiæ effectus (*b*) Duplex eſt nervus intercoſtalis, utrinque jacet unus ſecundùm radices apophyſium-tranſverſarum viginti quatuor vertebrarum & lateralem partem internæ faciei oſſis ſacri, per hoc ſpatium gangliis interjectus. Malè nuncupatur *intercoſtalis*; meliùs illum ab uſu inſignivit Winſlovius nomine *ſympathici magni*, & à Williſio propter originem dictus eſt, *frutex ſuper alio fructice.* Nihilominùs neuter rem planè attigit.

(*b*) Vide Winſlow, Expoſition Anat. Traité des nerfs.

Propagines nervi intercoſtalis quidam ejuſdem originem eſſe exiſtimarunt, aliis prætervisâ duntaxat fuere tùm ejus relationes, tùm gangliorum uſus; quibus verò hæc totidem cerebella habita ſunt, ii rem leviter & ſtrictim videntur delibaſſe; in gangliis enim nulla fit perceptio, ſed eorum ope nervi illa adeuntes & ex iis orti inter ſe communicant perceptamque ſenſationem ſibi mutuò referunt.

III.

NERVI *quibus deſunt ganglia, nullas partes in conſenſum trahunt.* Accuratâ Anatomes indagatione conſtat nervos medullæ oblongatæ, præter tertium par, quintum, octavum & decimum, præſertim qui externis ſenſibus famulantur, nullum inter ſe, nec mutuum cum cæteris functionibus habere commercium; itа ut ſenſus, quibus præſunt, illæsâ ſanitate, depravari tollique poſſint; quod in cæcis, ſurdis guſtûs & odoratûs expertibus intelligere eſt: nulla enim in iis deprehenduntur ganglia.

Corpus idiopathicè & ſympathicè diverſiſſimè afficiunt morbi: cùm omnes ſenſus ſint unicuique ad vitam tuendam & conſervandam planè neceſſarii, ſapienter à naturâ comparatum eſt eos, cùm à ſe, tùm à cæteris partibus, eſſe disjunctos, ut morbis ſympathicis minùs obnoxii forent, & ſic rariùs homini deeſſent. Longè aliter accidit in quâlibet aliâ corporis parte ubi ſunt ganglia, quorum ope, altera alterius ſenſationis particeps evadit: ſiquidem ramo quem producit ganglium irritato, tùm qui illud adeunt, tùm qui ab eo originem ducunt nervi, eodem modo plùs minus-ve plectuntur.

Hallucinari mihi videntur qui exiſtimant intercedere ſocietatem cum partibus quibus nullum ineſt ganglium, quintum videlicet par inter & duram ſeptimi portionem: quod enim in iis phœnomeni animadvertitur, alterutri debetur trunco; cujus rami altè intermiſcentur ac ſeſe decuſſant; quo quidem cæco & multiplici textu quidam decepti, quod unius erat alteri deputarunt. Perindè ſe habent nervi ſine gangliis ac plurium arborum ſibi adjacentium radices, quæ ſe interſecant & implicantur, nec tamen communis eſt eorum functio, utriſque ad ſuam duntaxat originem, hinc ſuccum, indè ſenſationem referentibus.

IV.

PASSIONUM conſenſus (*a*) frequentiſſima ſpecies: ejus phœnomena ut perſpicacibus & attentis lumen præferunt, ſic imperitos & incautos in errorem inducunt; undè ipſius cognitionis tùm pro therapeiâ, tùm in diagnoſi patet neceſſitas. Quem etenim, niſi fuerit longo uſu edoctus & animalis œconomiæ non rudis, devium non agerent tot varii ſympathiæ effectus? Ne in ſingulis immorer ſpeciminibus, pauca duntaxat ſummatim enumerare juvat. Ut plurimùm in dentitione difficili adſunt ſpaſmus, convulſio, epilepſia, alvi profluvium, quæ ſi crebriùs fluxerit, his rarò vel minùs

(*a*) Regâ de ſympathiâ.

tentantur pueri: coacto lacte, vermibus, aeore, saburrâ in ventriculo stabulantibus, superveniunt narium pruritus, tussis stomachalis, pleuritis notha, motus convulsivi, insultus epileptici, aphonia, hemierania, vertigo tenebricosa, quandoque cæcitas; cùm intestina iis afficiuntur, aut quolibet stimulo irritantur, vel eroduntur, similia fermè pariunt symptomata & insuper surarum spasmodicas contractiones, arthritricos dolores, artuum contracturas vel resolutiones: à nephritide, rene obstructo, vulnerato, ulcerato, calculo obsesso, fit aurium tinnitus, cephalalgiæ, vomitus, pectoris dolor & genuum, testiculi retractio, femoris suppositi stupor, convulsio; eadem patiente jecore, dolet jugulum, pectus, genu, sura: in hystericis percipiuntur spasmi, clavus hystericus, nauseæ, singultus, vomitus, faucium constrictio, artuum subsultus: plantis pedum, vel palmis manunm subito frigore tentatis, catameniorum fluxus supprimitur aut revocatur, sæviunt tormina abdominis, alvus cietur; micturitur: nervi puncti in vulneribus, semi-secti, acrioribus irritati rigorem, horrorem, rigiditatem, inflammationem, gangrænam; in amputationibus, castratione, anevrismatis operatione vincti singultum, vomitum & convulsiones creant. Quot tandem & quàm innumerabilia horrendaque symptomata patiuntur cæteræ partes quibuscum consentit ventriculus, qualia sunt anxietas, frigus, calor, respiratio difficilis, cordis palpitatio, scotomia, erethismus, convulsiones, epilepsia, apoplexia, paralysis, tetanos, opisthotonos, emprosthotonos, circulantium stagnatio, mors, si gravatus, læsus, inflammatus à venenis, vel quorumdam ingestorum copiâ, qualitate, morâ fuerit ipse ventriculus. Multa alia in clinicorum observationibus reperire est, quæ de industriâ prætermitto, ne quàm par sit fusiùs differere videar; talis consensûs manca est ratio ex nervorum origine & distributione tantummodò deducta, quibus si adjunxeris usum gangliorum & nervi intercostalis propagines toto corpore diffusas, quæstionem penitùs solveris. Proprium est nervorum, utpotè animæ ministrorum, ejus mandata ad singulas partes, & ipsi rursùs impressionem undecumque acceptam illico transmittere; ut sua cuique nervo peculiaris est origo, distributio & functio, nisi statueretur inter eos connubium, nullus foret partium consensus; illud constituendo, nodum expedire videntur ganglia.

V.

NERVI autem intercostalis rami à superiori ganglio cervicali orti ad quintum usque par & sextum excurrentes, dictique ejus radices habiti, sunt totidem surculi, quorum ope, oculi & nares cum pectore & ventriculo consentiunt. Per ramum nervi intelligenda est series aggregatorum nervulorum, qui aciem fugiunt, quos nec assequitur culter anatomicus; quocircà extrema eorum divisio multò latiùs quam intelligitur patet. Harum-ce propaginum surculus ramo nervi opthalmici Willisii & alteri tertii paris junctus, ganglium lenticulare constituunt oculi globo proximum, super opticum nervum, quem ramulis suis velut irretitum habet; illumque plus minùs-ve strigendo vertigines, hemeralopiam*, & cæcitatem (*a*), ægrotante ventriculo, producit; in hemieraniâ quoque eidem ganglio adscribendus est oculi dolor, ut & vicinarum partium aliis minoribus surculis circà tempora diffusis. Narium cum pectore relationem utpotè omnibus notam & perspectam tacebo: non minùs vera est, licèt cæca magis & occulta, aurium cum intestinis societas; sive parvum ganglium linguale accipiat à tympani cordâ nervulum, quod etiamnùm inter Anatomicos controvertitur, sivè ad illam mittat, quod quidem argumento à simili deducto probabilius videtur. Quo ganglio ex ramulis nervi intercostalis, maxillaris inferioris & octavi paris unà coeuntibus conflato; quid mirum si tympani membrana vellicata, acutiori sono perculsa, tussim, dentium stridorem, horripilationem pariat, & si aurium habitudo & intestinorum status in se vicissim influant? Alvo enim adstrictâ quibusdam fit gravis auditus; acutior verò, laxâ. Hujus-ce organi tanta est cum intestinis affi-

(*a*) Quæ emeticis, catharticis, [illegible] curantur.

* Sympathicè contractis fibris nerveis quas ipsum lenticulare ganglium uveæ impertit, coarctatur pupilla.

nitas, ut, ſæviente morbo acuto, criſis, quam in iis natura molitur, ex ſurditate ſuperveniente futura prædici queat. Quem conſenſum jam annotavit Hippocrates (*b*) dùm ait, *quibus bilioſæ ſunt egeſtiones, ſurditate ſuperveniente, ceſſant; & quibus ſurditas, bilioſis ſupervenientibus, ceſſat.* Et aliàs (*c*) *quibus in febribus aures obſurduerint, alvus exturbata morbum ſolvit.* Interdum fœminæ, quarum uterus male afficitur, frigus aut dolorem in poſticâ vel ſuperiori capitis parte ſentiunt; eo quòd ipſe nervus accipit ab intercoſtali, qui etiam ex ſuo cervicali ganglio ſuperiori & conjunctione cum ganglio decimi paris & ramo primi intervertebralis cervicis truncum maximum occipiti largitur, cujus diſtributiones ejus latera & verticem adeunt. Univerſalis verò conſenſus à frequentiori per ganglia nervi intercoſtalis cum cæteris cognatione repetendus eſt; cujus unum duntaxat & inſigne exemplum afferam, practicis ſat notum (*d*). Ex vomicâ nonnunquam naſcitur ejuſdem lateris brachii reſolutio, quâ ruptâ, &, ut decet, expurgatâ, ſolvitur paralyſis; quæ quidèm à ſolâ oritur pulmonis diſtentione thorachica ganglia prementis præſertim ſuperiùs, quod plexum brachialem ingreditur & brevibus ramis communicat cum ſexto cervicali & ſeptimo, & longiori ramo cum quarto è quibus prodeunt brachiorum nervi.

(*b*) Sect. 4. Aphor. 23.
(*c*) Sect. 4 Aph. 60.
(*d*) Obſerv. Mag. Mal. et, D. M. P. de hæmat. medend. parte 3.

Non niſi gangliis fieri & explicari poteſt paſſionum conſenſus; id præſtare nullatenus queunt membranæ, vaſa, humores, paritas officii, generis ſimilitudo. Quod verò attinet ad involucrum à durâ-matre datum omnibus corporis partibus, tanquam univerſalem conſensûs cauſam à Baglivio (*e*) aſſignatum, huic implendo officio nec ipſum habile & idoneum haberi debet; dura videlicèt meninx immota manet, nec perindè ut quibuſdam viſa eſt irritabilis. Ex quo generali conſenſu credere eſſet parte quâdam dolore affectâ, cæteras eodem plecti: id autem non ita ſe habere mirari deſinet, qui attenderit ejus effectum ſequi, ratione compoſitâ, ex causâ agente, ex partium idiopathicè & ſympathicè laborantium maximè (*f*) fabricâ & irritabilitate; undè colligi debet in œconomiâ animali tanta conſenſûs diſſimilitudo.

(*e*) De fibrâ motrice ſpecim.
(*f*) Wepferus, fol. 94.

Cùm ubi ſunt ganglia, ibi adſit partium conſenſus, & nervi, quibus deſunt ganglia, nullas partes in conſenſum trahant; nervus intercoſtalis ſuarum ope propaginum paſſim diſperſarum, ſenſationes undecunque perceptas ad ganglia ſua, & ex illis ad cæteras partes, quòcunque defert.

Ergò à gangliis nervi intercoſtalis partium omnium conſenſus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Jacobus-Ludovicus COQUEREAU.	*M. Franciſcus-Maria* LE MOINE.	*M. Guido-Andreas* GARNIER, *in Inſulis Gouadalupia & aliis adjacentibus, Conſiliarius Regis Medicus primarius, nec non in iiſdem Pharmacopoliorum & Noſocomiorum Inſpector.*
M. Joannes-Baptiſta-Michael BUCQUET.	*M. Joannes-Auguſtinus* COUTAVOZ.	*M. Laurentius* FERRET, *Eccleſiæ Cameracenſis Canonicus.*
M. Ambroſius-Auguſtinus BELANGER.	*M. Dominicus-Joannes-Baptiſta* DE LA BICHE.	*M. Joannes-Jacobus* BELLETESTE, *Antiquus Facultatis Decanus.*

Proponebat Pariſiis CAROLUS-LUDOVICUS VARNIER, Pariſinus, Monſpelienſis Ludovicei Doctor Medicus; necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1770. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſ. & Facul. Med. Typographi, 1770.